



45. D. Remigius. Tertio. D. Remigius in cap. 9. Matth. de duobus cæcis clamantibus, sic ait: Recte filium David vocant, quia Virgo Maria de stirpe David originem duxit. Cum hæc mulier Christum filium David dicit, filium Virginis Mariæ appellat: ipsa enim de femine David est orta. Optime præcellens Chananæa, quod nullo efficaciore modo Deum ad sibi subueniendum inclinare valebat, quam si sub nomine Mariæ preces deferret, pro certo habuit, quod talis oratio suo experts effectu minime exiret. Et non dicit filium Mariæ, sed David, quia Mariæ nomen ore proferre non audebat.

46. Abulensis. Quarto. Abulensis q. 65. Filium David vocat, ait, ad honorem hoc dicit, & ad expressionem suæ fidei: nam volebat dicere Christum verum esse Messiam, maximum enim bonum, quod Iudæi expectabant, erat Messias; & hunc credebant esse filium David, ut testatur Scriptura Ioan. 7. n. 42. Et ad magnum honorem Christus filius David, ac Messias vocabatur: nam certò credebant Iudæi, Messiam, in dignitate, sanctitate, ac potestate spiritali, omnibus hominibus excellentiorem futurum. Vnde pueri in die Palmis Palmarum dicebant: Osanna filio David, Matthæi 21. num. 9. Mulier cum veniret rogans, suamque eximiam fidem manifestans, magnum Christo honorem detulit; qui enim petit, frequenter signa honoris exhibet.

47. Abulensis. Quinto. Idem Abulensis: Credendum est, ait, quod audisset mulier ista miraculum illud, quod fecerat Christus, sanando duos cecos, qui ita eum vocabant. Et hoc est verisimile, quia totaliter secuta est mulier ista illorum exemplum: nam illi ibant per viam clamantes post Christum, & dicentes: Misere nostri fili David, Matth. 9. num. 27. Et ita nunc ista mulier per viam clamabat dicens: Misere mei fili David. Magna est enim prudentia, sequi viam, quam aliis proficuum, & vtile esse cognoscis.

48. Ioan. 9. Sexto. Clamat mulier: Misere mei, Domine, fili David: eius genus, eiusque proavos Gentilis mulier, extra terminos Israel educata, agnoscit, & fatetur. Et tamen Iudæi, cum inter ipsos Christus esset natus, dicunt: Hunc autem nescimus, unde sit, Ioan. 9. num. 29. Valde mirum! Ignoratur Christi profapia à Ierosolymitanis, & agnoscitur à Chananæis. Pauper, & humilis status cuiuslibet hominem incognitum reddit, ut etiam à suis penitus ignoretur; sic & Deus, degens in mundo sub vili, abiectioneque habitu, à suis diuitibus cognatis nescitur. D. Basilii Seleucus orat. 20. O quot myriadibus Iudæorum profanis ab ipsi, qui persanati, Christus, sibi reponi illud, audiuit: Hic vnde sit, nescimus: Mulier verò Chananæa, etiam ante curacionem, fide data, ad Evangelistam dignitatem peruenit.

49. Basil. Sel. Septimo. Cum filium David dicit mulier, Messiam cum appellat; cuius proprium est opus, miserorum misereri: ac proinde ab ipso miserendi munere sibi sollicitat mulier, ac veluti sibi pignorat eius pietatem, atque clementiam.

50. 2. Cor. 1. Ait Apostolus 2. Corinth. 1. num. 3. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Frequenter Deus in Scriptura dicitur Dominus cæli, & terræ, in cuius ditione cuncta sunt posita: & dicitur, Deus ultionum Dominus, Psalm. 93. num. 1. At cum de misericordia est sermo, non Dominus, sed Pater misericordiarum dicitur. Cur Pater, & non Dominus? Ab ipsa Patris conditione eius misericordiam exquirat Apostolus, cuius tam pro-

51. Anselm. Prius est misereri, ut potius videatur opus naturæ, quam voluntatis, & magis à visceribus, quam ab arbitrio nasci. D. Anselmus ibi: Ipse, dico, Pater misericordiarum, quia ex visceribus eius proveniunt in nos misericordia eius.

52. Genes. 9. Peracto diluio, promittit Deus Noë, quod amplius omnis caro non sit interficienda, statuitque pactum cum homine, quod ipse amplius non esset delendus, hæcque de re dat signum sensibile in nubibus, nempe arcum, dicens: Erit arcus in nubibus, & videbo illum; & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum, & animam viventem, Genes. 9. num. 16. Vnde nascitur quod promissio ista tantis sit stabilita: An quia hominem studiosè victurum, & suorum peccatorum penitentiam acturum prævidit? Minime. Vnde ergo tam ingens clementiæ largitas? Ex sola sua misericordia provenit, quæ ex ingenti sua pietate se veluti obligare vult. D. Chrysostomus homil. 28. Vidisti, ait, quantam curam gerat nostri generis; quantam misericordia magnitudinem declaret? non quia hominum conversionem vidit, sed ut per omnia nos doceat excellentem eius bonitatem.

QUESTIO VI.

Quare hæc mulier patronos, ac advocatos non querit?

1. Cur prudens femina prius non concurrat ad Apostolos, ut eorum patrocinio adiuta, ac munita conveniret ad Dominum? at ipsa sua multa afflictione laborans sibi persuasit, non aliorum adiutorio indigere; vnde ipsa per se solum confidenter ad Dominum convenit.

2. Eleganter respondet Chrysostomus homil. 17. ex variis in Matth. Vide prudentiam mulieris, ait, non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit Apostolorum chorum, nec quesivit mediatores; sed pro omnibus illis penitentiam accepit comitem, quæ advocati locum implevit, & sic ad summum fontem perrexit. Non rogatores querit. Cum enim se mulier clamoribus, lachrymis, ac afflictionibus tradiderit, fidens in Deum, non aliis indiget advocatis, ut pro ipsa ad Deum intercedant, & clament: illa in se retinet afflictionis patrocinium, quod, cum ante Dei oculos apparet, statim impetrat, quicquid intendit.

3. Ob Davidis peccatum emisit Dominus pestilentiam in populum Israel; iamque emortua erant septuaginta millia virorum. Cumq; extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti, sustinet. Dixitq; David ad Dominum, &c. 2. Regum 24. num. 16. Sequiturque eius oratio: Ego sum, qui peccavi, ego inique egi. Ex quo, ut ait Cornelius, colligitur, Deum antequam oraret David, ex spontanea misericordia iussisse Angelo, ut plagam, pestemq; susteret. Cur non expectavit Dominus Davidis orationem? Ex quoniam motivo tam promptè mandavit Angelo, gladium recondere? Apertè textus indicat rationem: Misertus est Dominus super afflictione. Prius namque laborantium afflictio evolvit ad Deum, quam Davidis preces ante illius conspectum peruenissent.

Calix

53. Psalm. 74. Pelusota. Calix in manu Domini vini meri, plenus misto: inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen sax eius non est exinanita, Psalm. 74. num. 9. Calix hic, iuxta Pelusiotam, ac alios, est gladius diuinæ iustitiæ, plenus pœna, quam Dominus in perfidos infligit; sed tamen non vsque ad ultimum dignatur effundere: inclinatur enim calicem; non tamen euacuat. Cur totus calix vsque ad ultimum guttam non emittitur? Nunquid alicuius preces exiguntur, ne totus exhauriatur? Minime. Ipsa Dei pietas, quæ super afflictos commouetur, manum retinet, ne totus calix euacuetur. D. Ambrosius ibi: Ad terrendum, inquit, plenus est calix; ad feriendum non, exinanitus: plenus erat calix, cum mors per triduum mandaretur, sed occurrit misericordia Dei; tenuit manum Angeli, prius, quam calicem exinaniret.

54. Ierem. 18. Ait Deus per Ieremiam 18. num. 18. Si penitentiam egeris gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego penitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Et subito loquar de gente, & regno, ut adsicem, & plantem illud. Expende illud verbum, subito, seu repente, ut alij legunt, quasi cum Deus suorum lachrymas, ac penitentiam videt, non possit se continere, quin ei propitius adit. D. Thomas ibi: Subito, seu repente, ait, loquitur de Deo ad similitudinem hominis; dicitur enim aliquis repente loqui, quando sine præmeditatione loquitur. Cum Deus videt suorum penitentiam, & afflictionem, absque præmeditatione alicuius orationis, ac rogationis pacem loquitur, & suis misericordiam largitur.

55. Matth. 15. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes Discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

VERSIONES.

Syriacus. Ipse verò nec verbum quidem respondit. Euthymius. Deprecabantur eum. Theophylact. Omittit illam, quia clamat post nos. Vatablus. Absolve illam. Arias. Quia clamat in vestigiis nostris. Arabicus. Quia clamat in vestigiis nostris.

D. Chrysostom. homil. 17. ex varijs in Matth. Damasc. 2. Paral. cap. 15. Quia clamat ante nos.

EXPOSITIO III.

1. CLAMABAT mulier, deprecans filie sanitatem. Qui non respondit ei verbum, seu, ut habet Syriacus, ne verbum quidem respondit, non ex superbia, sed ex magno mysterio, ut dicam quæ se sequenti; & non respondit verbo, sed factò, ait Palatius, Accedentes Discipuli, ut instantius Dominum exorarent pro mulieris filie sanitate. Apostoli, non rogati, advocatorum mun-

57. Syriacus. Non verbo, sed factò respondendum. Palat.

mus suscipiunt. Dimitte eam, hoc est manda eam non vacuam, sed concedens ei id, quod petit. Clamat. Ingeminat enim voces ex sua magna angustia. Post nos. Lucas Burgensis, molestia simul, & dedecore nos afficit: molestiam enim clamor, præsertim cum Dominus latere disposuerat: dedecus, clamantis mulieris consecutio nobis parit. D. Chrysostomus homil. 17. ex varijs in Matth. ut refert D. Damascenus lib. 2. Paral. cap. 15. existimat, alium Evangelistam scripsisse: Dimitte illam, quia clamat ante nos, utrumque enim faciebat. Ante, & à tergo clamabat; postquam autem nihil ei respondit Christus, à fronte venit clamans. Misere mei. Gravis tempestas, affectio, & timor. Qui timoris tempestate concutitur, à tergo iactatur ad Christi præsentiam, & faciem: tam miròs timor parit effectus.

QUESTIO VII.

Quare Christus Dominus huic mulieri non respondit?

1. QUAM nouum, atque inauditum est hoc, ait Chrysostomus homil. 34. in Matth. Iudæos ingratos rationibus inducit Dominus; & blasphemantes rogat, & tentantes non negligit: hanc autem, quæ sponte venit; quæ deprecabatur, & supplicabat; quæ quamquam nulla lege, nullis prophetis fuerit communita; tamen tanta cum reuerentia accessit; nec responso dignam putare videtur. Valde sanè mirum est, quod huic sitienti, ac avidè currenti fons aquæ viarum claudatur, ut ei verbum non respondeat. Cur autem sine mora petitioni Centurionis, non verò Chananææ, responderit? iam tractavi tom. 3. cap. 11. quæst. 11. Vide ibi dicta. Ad nostram quæstionem

Respondent primò. D. Chrysostomus, D. Hieronymus, Beda, D. Anselmus, Carthusianus, S. Thomas, & alij. Non de superbia, ait D. Hieronymus, Pharisæica, neque de Scribarum supercilio non respondit Dominus, sed ne sue sententiæ videretur esse contrarius, per quam iusserat. Ne in viam gentium abieritis: Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare, perfectarumq; salutem gentium, Passiois, & Resurrectionis temporis referuabat. Non respondet Dominus, ac si mulierem contemneret, sed ne suæ sententiæ videretur contrarius, quæ præceperat, In viam gentium ne abieritis, Matth. 10. Maxime enim decet, ut Magister, ac princeps suis dictis sit cõstans. Deinde ne Iudæis calumniatoribus anam murmurandi præberet, quod, cum esset missus ad Iudæos, ad gentes transibat. Vnde ipse ait: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. Vnde, ut notant D. Thomas, & Maldonatus, tam cunctanter se habet Dominus in hoc miraculo, ut manifestaret se, non spontè, sed quodammodo inuitum, & importunis mulieris precibus coactum miraculorum gratiam Gentibus impertiri. Gentium enim salutem alio, & proportionato temporis, ac occasione referuabat.

Secundò Euthymius. Fœmina clamabat, Christus sublebat, sustinens, donec omnis fœmina fides, animi modestia, ac prudentia manifestaretur. Simul etiam ut Iudæis ostenderet, qualem erga illos gereret affectum, cum infirmos eorum semel tantum rogatus; imò neque semel quidem, statim curabat; Gentilium

C verè